

probabitur per duos testes ipsum dixisse animo iniuriandi, solvere debeat .XX. solidos.

95

17. Item statuimus et ordinamus quod quicumque nostrum dixerit unus alteri „tu es procurus⁵⁸“, solvere debeat .XX. solidos, et si dixerit „tu mentiris“, solvere debeat .V. solidos.

18. Item statuimus et ordinamus quod quicumque cursorum exstraret aliquod ferrum sive gladium vel alia arma irato animo et malo modo contra alium sive alios, si percusserit^b vel non, solvere debeat .C. solidos, et si percusserit^b similiter, si sanguis exhibit, solvere debeat .X. libras, et si magister cursorum non posset ipsos pacificare, remaneat ad iudicium camerarii domini pape.

100

19. Item statuimus et ordinamus quod quicumque cursorum iret ad commedendum ad hospitium cardinalis, prelati seu ambassiatoris, vicecancellarii et helemosinariorum secundum tenorem litterarum nostrarum sine licentia magistri cursorum, solvere debeat .IIII. turonenses de argento, de quibus turonensibus duo sint societati cursorum et alios^c duos^c habeat acusator qui acusabit, et si quis esset accusatus iniuste, credatur sibi ad suum sacramentum et nichil solvere teneatur, sed acusator qui acusabit solvat penam predictam.

105

110

20. Statuimus etiam quod quodcumque magister cursorum ibit ad commedendum in aliquo loquo, cursorem qui ibit secum non valeat ire per mensem^d illum^e, et si iret, solvere debeat .X. solidos.

115

21. Item statuimus et ordinamus quod si ad alicuius cursoris perveniret manus cera de obsequiis pape, regis seu imperatoris infra tertiam diem assignare debeat magistro cursorum, et si non assignaret, solvere debeat .I. florenum de auro et ceram resignare teneatur.

22. Item statuimus et ordinamus quod quicumque nostrum non acceptaverit seu ratum habuerit predicta nostra statuta et ordinamenta, solvere debeat .V. florenos aureos societati cursorum, et si magister non faceret solvere penam predictam, de suo solvere teneatur.

120

23. Item statuimus et ordinamus quod quicumque esset electus magister predictis IIII^{or} et renunciaret ipsum officium, solvere debeat .XX. solidos.

125

b) Ms. percurserit.

c-c) Ms. alii duo.

d) Ms. permensem.

e) i. e. eo

mense quo magister cursorum iit (?).

58) Vgl. Du Cange, Glossarium 6 S. 519 s. v. proculum.